Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40034
Copyright: Melk, Benediktinerstift

in locis illis ubi ab eodem sacerdote vel ab eis abbatibus qui abbates ordinant ab ipsis eciam et prepositus ordinatur. Quod quam sit absurdum facile advertitur advertitur: quia ab ipso inicio ordinacionis materia ei datur superbiendi: dum ei suggeritur a cogitacionibus suis exutum se esse a potestate abbatis sui quia ab ipsis ordinatus a quibus et abbas. Hinc suscitantur invidie rixe detractiones emulaciones dissensiones exordinaciones: ut dum sibi contrarii se invicem abbas prepositusque senciunt et ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari: hii qui sub ipsis sunt dum adulantur partibus eunt in perdicionem cuius periculi malum illos respicit in capite: qui talibus in ordinacione se fecerunt auctores.

Ideo nos previdimus expedire propter pacis caritatisque custodiam: in abbatis pendere arbitrio ordinacionem monasterii sui. Et si potest fieri per decanos ordinetur ut ante disposuimus omnis utilitas monasterii prout abbas disposuerit: ut dum pluribus committitur unus non superbiat. Quod si aut locus expetit aut congregacio petierit racionabiliter cum humilitate et ipse abbas iudicaverit expedire: quemcumque elegerit cum consilio fratrum timencium deum ordinet ipse sibi prepositum. Qui tamen prepositus illa agat cum reverencia que ab abbate suo ei iniuncta fuerint nichil contra abbatis sui voluntatem et ordinacionem faciens quia quanto prelatus est ceteris tanto eum oportet sollicicius observare precepta regule. Qui prepositus si repertus fuerit viciosus aut elacione deceptus superbire aut contemptor sancte regule fuerit comprobatus commoneatur verbis usque quater si non emendaverit adhibeatur ei correpcio discipline regularis. Quod si nec sic correxerit tunc eiciatur de ordine prepositi et alius qui dignus est in loco eius subrogetur. Quod si postea in congregacione quietus et obediens non fuerit eciam de monasterio expellatur. Cogitet tamen abbas se de omnibus iudiciis suis deo reddere racionem: ne forte zeli aut invidie flamma urat animam.

De ostiario monasterii

Ad portam monasterii ponatur senex sapiens: qui sciat accipere responsum et reddere et cuius maturitas eum vagari non sinat. Qui portarius cellam debet habere iuxta portam ut venientes semper presentem inveniant a quo responsum accipiant. Et mox ut aliquis pulsaverit aut pauper clamaverit deo gracias respondeat aut benedicat cum omni mansuetudine timoris dei et reddat responsum cum fervore caritatis. Qui portarius si indiget solacio: iuniorem fratrem accipiat. Monasterium autem